L

6-2198

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CYNOPITHECOMACHIA

SEV

CANVM, ET PITHECORVM

PVGNA

GREGORII PORCII.

Bibl: Soc Coll: Colom: Soc Jesu



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROMÆ,
Ex [illegible]hia Reu. Cam. Apoſtolicæ.
MDCXXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſ. Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

I.B.Epiſc.Camer.Viceſg.

Imprimatur

Fr. Gaſpar Aronus Lector, Socius Reuerendiſſ. P. F. Nicolai Riccardij Sac.Pal. Apoſt. Magiſt. Ord. Prædicatorum.

Digitized by Google

EMIN.MO ET REV.MO PRINCIPI

FRANCISCO
CARD. BARBERINO
S. R. E.
VICECANCELLARIO.

Gregorius Porcius. F.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HVMORISTARVM Academia, Em.me Princeps, iam Romæ percelebris, id in more poſitum habet, vt per eos dies, quibus Antecineralia, magna ludorùm varietate frequentantur, ſcriptionis aliquo g[illegible]coſo, ac lepido, periclitet[illegible]rum ingenia, qui per cęteras anni partes grauioribus

in ea ſtudijs exercentur. Ex eo ſane genere hoc habes a me poëmation, ioculare illud quidem, & leue; ſed quoniam, cum a me pronũtiaretur exceptum a te perhumaniter eſt, & eius eſt labor hominis, cui cauſæ sũt multæ, nec numerabiles, cur tibi ſe, ſuaque debeat omnia, tuo nomini, opus tuum deferendum, & dicandum fuit, cuius comitata leporibus omnibus Virtus, in Immortalitatis templo iam ſuſpicitur ab vniuerſis: quorum ego primus luce tuæ benignitatis aſperſus, & plenus, ante aram ca[illegible]i ſimilis hæreo. Vale[illegible]

A R-

ARGVMENTVM.

Melampus Amyclæus, Rex Canum, forma, & proceritate corporis ſpectabilis, Hecubæ in canem transformatæ nupſit, ex eaque Leucum catulum, ad Regni ſpem ſuſcepit. Is iuuenili, & innata ſibi venandi cupiditate raptus, littoriſque vicinitate pellectus (Pithecuſa enim Simiarum inſula, & Cynopyrgus Canum Regia, vtpote in Puteolano ſinu poſitæ, non longe ab inuicem diſtabant) fugacem Ceruum venando inſequitur. Ille fuga præreptus, e Cynopyrgo ad Pithecuſæ littus natando peruenit, ibique a Leuco tandem comprehenſus, laniatur. Leucus labore feſſus, ad patulæ arboris porrectus vmbram, perhumaniter a Phrurarcho cuſtodū Principe inuitatus, ad Mimantem Pithecorum Regem, regius vt Hoſpes, & conſanguineus mittitur. Hoſpitio (ſuadente Agirte regis Patruo) exceptus, duorumque ſupra decem dierum ſpatio, p[illegible] abunde appoſitis, omniſque generis fructuum copia in epulis adhibita, tāquam cibis ſibi non congruentibus, & a Canina natura prorſus alienis, fame pe-

rijt. Extinctus per ſummum ſcelus, fluctibus maris, ventisque iactatus, Cynopyrgi littoribus exponitur. Hic ab Aellomacho confinium cuſtode agnitus, ingenti Melampi Patris mœrore, origo, & cauſa belli inter Canes, & Pithecos extitit. Sequitur ſtatim Cynopyrgi tumultus militaris, feruent omnia armis, furore, ſtrepitu. Inde catalogus Canum euntium ad bellum, & Pithecorum ſe ſe ad arma parantium. Narratio comparationibus, epiſodijs, ancipitiſque pugnæ euentibus varijs illuſtratur. Inſula tandem Pithecorum capta, Canes omnia pauore replent, vrbem inuadunt, cædibus omnia permiſcent, Regiamque Mimantis vaſtatam euertunt; ex eoque tempore, qui ſuperfuerunt Pitheci, catenis, & vinculis ferreis prædomorum Mercurialibus foribus in pœnam alligati, conſpiciuntur.

PRO-

PROLVSIO.

ALCEDONIA Bacchi nunc ſunt : etiam in Principum, Sapientiumque corona ludus, iocuſque non dedecet; Ludam ergò Poetarum ſecutus Principes, Græcum Homerum, Latinumque Virgilium, quorum ille Ranas, & Mures produxit in pugnam, hic eleganti carmine, magnoque funere Culici parentauit. Vtinam ſucceſſu, non dicam pari (quis enim Apicibus illis duobus aliquãdo ſit par?) ſed imitatione minimè miſera, vt argumento in tenui, plus nimio tenuis, ac leuis eſſe non deprehendar. Ne tamen in Vrbe, nunquam otioſa, & in Orbe armorum ſtrepitu perſonante, ſolus inſtar Diogenis, videar eſſe otioſus, doliolum meũ, hac ex Acrocorintho agitabo, agamque aliquid per iocum, dum

agere ſerio, tempus, vſuſque, & nobilis iſtius Academiæ conſuetudo non patitur: Canum igitur, Pithecorumque concertatio, ac pugna, hodiernus vobis ludus erit, cuius in ludicro campo, & campeſtri militum in apparatu,

Dum tuba terribili ſonitu taratantara dicit
Horrida bella cano.

CYNO-

CYNOPITHECOMACHIÆ

LIBER PRIMVS.

HORRIDA bella Cano. fumantia ſanguine cerno
Caſtra Pithecorum, caſtris deuicta Melampi.
Phœbe repoſta mihi motus arcana reuolue,
Eruta Cyrrhæis adytis, & Phocidos antro:
Nam potis es plectro, deſuetæ carmina Muſæ
Sollicitare tuo, pharetrâque ciere phalangas.
Vnde ſed ipſe iubes ſuras vincire cothurno
Mœonio, & Tragico moliri ſyrmate carmen?
Bellanè centimanum memorem truculenta Gigantum,
Quos propter tremuit, ſuccuſſaque motibus, igne
Fulminis exarſit vaſto ſub viſcere Tellus:
An quibus ex formis Atlas, & Candulus, iram
Cercopes fratres meritam ſubiere Tonantis,
Oraque rugarum viderunt aſpera ſulcis?
Nòn ego: ſed certus limes mihi carminis eſto,
Littoris æquoreâ Leucus proiectus arenâ,
Capta Pithecuſæ Sedes, vaſtata Mimantis
Aula, Giganteos Canibus paritura triumphos.
Vos Latiale Decus, ſacri vos cura Senatus,
Præſidium, Regale genus, Spes debita cœlo,
Eſte, precor, noſtris faciles audacibus orſis;
Auſpicijs etenim veſtris ingentia bella,
Pierio referam flammatus ad arma calore.

Atlas, & Candulus fraudulẽtiſſimi deceptores, qui ob ſuppetias Gigantibus aduerſus Deos præſtitas à Ioue in ſimias trāſformati fuere.

Eſt locus Heſperiæ circum Tyrrhena Coloni
Littora Dardanij, famâ notiſſimus Orbi,
Murmure quâ rapidos, ſparſoſque per æquora Ventos
Aeolus Hippotades placidâ compeſcit habenâ,
Imperioque regens diſcordes temperat iras,
Parthenopes, Prochytæque ſinus veneratus, & vndas
Baiarum ſcabro ructatas pumice montis.

Hunc olim Inarimen veteres dixere Pelaſgi,
Sulphure qui tetro fumantia corda Typhœi
Mole premens, Superis minitatur bella, receſſus
Scinditur in geminos, & brachia lunat in arcus,
Deque Pithecorum ſortitus nomine collem,
Longa Pithecuſæ ſeruat per ſæcula nomen.
Inſula iàm felix, dum mitia Fata ſinebant,
Nunc eſt hoſpitibus ſtatio male fida Carinis.

Huc, Cerui poſt terga, Canis de ſtirpe Melampi
Regali natus, prædæ ſtimulatus amore
Venator properat, fluctus per, & arua fugacem
Inſequitur, trepidique pedem pede feruidus vrget,
Donec anhelantem tot poſt certamina, morſu
Increpitans crebro perimit, ſpolijſque potitus
Sylueſtri trunco ſuſpendit parta trophæa.

Iam feſſus dum quærit aquæ medicamina, fontem
Nactus adit, pellenſque ſitis ieiunia, corpus
Sternit humi pronum, ſpiriſque volutus vt anguis,
Lætus ad alticomæ ſe porrigit arboris vmbram.

Hinc arbuſta videt foliorum tegmine, ſaltus

Melăpus niger pedibus Rex Canum, Leuci pater, cuius ob mortem bellum eſt ortum. Is fuit procera mole Canis Excellentiſs. Principis Vrbis Præfecti.

Red-

Reddere frondoſos, & aprica cacumina montis
Quercubus annoſis, denſiſque comantia fagis,
Veris in exortu tremulis pubeſcere ramis:
Hinc virides miratur agros, iuga plena viretis,
Arboribus diſcreta ſuis, queis pendula Bacchi,
Munera Methymnæ turgeſcunt fœta racemis,
Nectareaſque ferax emittit pampinus vuas.

Fortè per vmbroſas Phrurarchus nomine ſyluas
Simius errabat, fures qui finibus hoſtes
Arcebat latè Regni, noctesque, dieſque
Cogebat vigiles fida in ſtatione manere.

Phrurarchus Princeps Cuſtodũ Simiarum.

Vidit vt hic humeris extantia corpora Leuci
Digna Paludatis famulis, & Sede Curuli,
Officioſus adeſt, teneroque incenſus amore
Hoſpitis, aggreditur blando ſermone iacentem.

Leucus cãdidus pilo Melampi filius, cuius ob necem bellũ inter Simias, & Canes exarſit.

Dic ſodes, tardæque moræ molimina rumpe;
Cur patrijs Laribus ſpretis, ad regna Pithecûm
Ignotus tendis? gentilia ſtemmata fare:
Vera fatebor enim, nec ſpes me credula fallit,
Ingentes animos iſto ſub pectore verſas,
Et tua regales apices per tempora præfers.

Vix ea fatus erat, quem contra talia Leucus.
Quid genus, & titulos numerem, celebrataq; Auorum
Nomina, & Auguſtæ repetitos Gentis honores?
Eſt hic, eſt credo, noſtrûm quoque fama Parentum
Inclyta, nam Priami ſe ſe de ſemine iactant.

Monte ſub Idæo poſtquam Priameia coniux

Tot Regum mater, felix Regina tot annos,
Auerſo, Diuûm mutatâ, numine formâ
Repſit in ora canis, thalamo ſociata Melampi
Regis Amyclæi, genuit me nobile germen
Ad ſpes Imperij, Regnique ad ſceptra vocauit.
Quodue pili candore Canes, quod ſtricta laceſſo
Riphæis niuibus, niueo cryſtalla nitore,
Candidus impoſito dicor de nomine Leucus.
Has, fuga me Cerui, prædæque fugacis ad oras
Traxit amor, traxitque frequens præ vallibus vmbra.
Pendet ab ore Canis perculſus nomine Leuci
Alter Areſtorides centeno lumine Cuſtos,
Impatienſque moræ comitem compellat Anurum.

Anurus ſine cauda Simius.

I celer, & Regi perfer mandata Mimanti;
Adueniſſe Canem clarum Ciſſeidos ortu,
Traductumque fugâ Cerui penetraſſe natatu
Regna Pithecorum, Cynopyrgi proxima regnis.
Ille Ducis, dicto citius, præcepta faceſſit,
Perque vias, cœcaſque fores illapſus in Vrbem,
Feſtinus curſu, Regi data iuſſa reportat.
Rex ſuper extructâ, ſolium ſimulante, ſedebat
Fronde granis, faſtuque regens redimita corymbis
Sceptra, triumphali ſe ſe iactabat in Aula,
Purpura quem Tyrio circumuelabat amictu,
Per geminas binis ceraſis pendentibus aures,
Quæ non ingenti candens Gangeticus orbe
Vnio, nec Phariæ Cleopatræ margaris æquat.

Ciſſeis Hecuba filia Ciſſei Regis Thracia, quæ ob dolorē diruta Troia, & necem Polydoro filio illatā in Canē mutata Melampo Regi nupſit.

Hic

Hic Iuuenile decus, ſparſis per tempora rugis,
Maieſtate fouet, vultus grauitate verendus
Præfulget cunctis, totoque eſt vertice ſupra,
Regibus Eois, ſub cardine natus Eoo.
Centum illi aſtabant cultu ſpecioſa Pithecûm
Agmina, quæ lauri Tuſcos geſtantia faſces,
Et Trabeas folijs, cinctuſque imitata Gabinos,
Replebant primæ ſubſellia proxima ſedi.
Hos inter grauior ſenio, Regiſque Mimantis
Patrùus, humani vultus ſimulator Agirtes, *Agirtes Circulator verboſus.*
Eloquio præſtans, Pylio facundior ore.
Effudit placido tales de pectore voces.
Præmia, ſi meritis, fas eſt, ò maxime Regum
Reddere digna, quibus fidei ſe ſuſtulit alis
Gloria, ne veteris temeremus fœdera pacis,
Fœdera cum Proauis tot iam ſancita per annos;
Nam vetus eſt, inter noſtræ primordia Gentis
Fama, pererrantes, Vrbis fundamina, Teucros
Hoc poſuiſſe ſolo, ſedemque dediſſe Pithecis.
Quos igitur gerimus Troiani ſanguinis ortus,
Et quas tunc noſtri ſub amico fœdere dextras
Porrexere Patres, ſtabili recolamus amore;
Rara etenim virtus, quam non fortuna, ſed æquum,
Sed probitas, ſed firma fides, ſed iura gubernant.
Ergò Lares Hoſpes ſubeat, Regalis in Aulæ
Se ferat hoſpitium, lætos det Regia plauſus,
Feſtaque gaudentes edant ſpectacula Ciues.

Talis

Talia iactantem ſequitur concordia vulgi
Primorum placitis, dictiſque probata Mimantis
Regis, & vnanimi ſtudio laudata Senatus.
Protinus hinc ſonuit percuſſus vocibus Aether
Occurſum Regis teſtatus. Et agmine pubes
Curſitat huc illuc facto, veſtigia greſſu
Figit, & eſt fremitus terris auditus ab imis.
Poplite curuato Regem venerata Iuuentus
Suppoſitis humeris attollit nobile pondus,
Lætitiæque tumet vanâ mutabilis aurâ.
Qualis vere nouo Regem per amœna vireta
Ducit Apis populans flores Trinacridos Hyblæ,
Atque ſuperba volat circum Zancleia prata:
Talis in obſequium Regis vaga turba Pithecûm
Emicat, & feſto vultu blandita Mimanti,
Delicijs pronos animos ad ſidera tollit.
Perſtrepit interea properante ad mœnia Leuco
Aula, per & calles, per & alta palatia Leucus
Excipitur, Leucum læto clamore ſalutat
Rex, & in obſequium fuſus teſtata recenſet
Fœdera cognato fulgentia ſanguine Regum,
Queis firmata vigent affinia vincula Regni,
Sic hærens per colla tenax amplexibus inſit.
O ſate Rege Canum, proles Auguſta Melampi,
Ingredere, & noſtris ſuccede Penatibus hoſpes;
Nulla meis, ſine te, conſurget gloria regnis:
Sic fatus poſitis iuſſit diſcumbere menſis,

Quas inter Leucum ſtrato Rex floribus Hyblæ
Inuitat ſolio, & magno dignatur honore.
Tum lecti ad menſam procero corpore centum
Simioli, totidemque pares ætate miniſtri.
Aſt vbi pampineis circum velata retexit
Aulæis epulas, & ditem Regia cultum,
Grata ſuper menſas infudit Amygdala, Ficus,
Et Pyra congeſſit Nucibus, grauibuſque Volemis
Caſtaneæ cumulos, prædulcia Coctana Prunis
Miſcuit, & Ceraſis vectis Ceraſuntis ab Vrbe
Actia compoſuit Tyrio liuentia ſucco,
Sorbaque proiecit nimium durantia ventres.
Hic quot Auella dedit Corylos, quot Perſidis ora
Poma, coronato quot vertice Punica tellus
Mala tulit, Latiumque tulit quot mollia Fraga,
Et quæ Thisbeo rubuerunt ſanguine Mora,
Omnia luxus habet Regalibus edita menſis.
Nec tua Parthenope centum ; bellaria ceſſant
Delicias ornare modis, nec dulcia nimbis
Attica mellitis manare tragemata deſunt.
Solus egens Leucus, Saliaris ſplendida Cœnæ
Fercula dira ſibi, Canibuſque inimica repellit,
Inque epulis epulas optat, noua pabula quærit,
Nec videt vnde dato tollat ieiunia victu.
Sex illum noctes, totidem redeuntia ſolis
Lumina viderunt inopem ſomnique, cibique;
Altera cum primo ſtellas oriente fugaſſet

Ceraſunte Ponti Vrbe capta Lucullus, primus in Latiũ ceraſa inuexit.

Clara

Clara dies, patitur veluti circundatus arctâ
Obſidione famem, crudelem mortis alumnam,
Lantitiaſque diu Leucus, fraudeſque Pithecûm
Auerſatus, ait, tandem. Quo lumina vertam?
Aut quæ me ad ſortis moriens ludibria ſeruo?
Nuſquam tuta fides, fidei data dextera, Regum
Pulſa domo longè, deſertis exulat oris;
Non caput infandum Leucus, non regia proles
Traxit in has epulas, & prandia digna Mimante;
Sed fraus occulto regnandi compta colore,
Vt vicina Canum crebris obiecta periclis
Regna, Pithecorum leges, & ſceptra ſubirent.
Vos Lemures, Hecateſque Canes, vos criminis oro
Vltrices Diræ properate ad vota cadentis,
Et cineri ſeruate meo quæ munera poſco.
Nullus amor Canibus, nullius fœdera pacis
Tempore ſint vllo vafrâ cum Gente Pithecûm.
Exurgat vindex, & noſtri corporis oſſa,
(Vt quondam Cadmo mortalia ſemina, dentes)
Infido pariant immania bella Mimanti.
Dixit, & impaſtus, ieiunus, pallidus ora,
Lethæas inhumatus aquas, Acherontis & vndas
Sorbuit, & iuxta Cocyti flumina ſedit.
Flumina ſeruabat truculento Cerberus ore,
Ignauo nunquam damnatus lumina ſomno,
Eminus hunc cernit, triplicique é gutture rictus
Fulminat, & Stygias replet rumore cauernas.

Cur

Cur tibi mœſta genis facies ſqualentibus horret,
Tortaque perfuſus deturpat lumina liuor?
Degeneres animos macies hæc arguit vltrò.
Talia latranti, tremulâ ſic voce profatur
Leucus: Amicitiæ ſpecies, & turpe Pithecûm
Vulgus, & infamis luſit me dextra Mimantis;
Regia nam poſtquam conſtruxit prandia menſis,
Inque dies plures epulas, & pocula traxit,
Pabula grata meo ſubiecit nulla palato.
Sic ego, qui menſâ nuper Sybaritide vixi
Delicias inter cumulatas diuite luxu,
Ante Famis poſtes, & triſtes ductus ad aras
Immolor hoſpitijs indebita victima Regum.
Felix, heu nimium felix, ſi ſola Pithecûm
Nunquam ſuffugiens tetigiſſet littora Ceruus.
Tu ſcelerum vindex, noſtrorum germen Auorum,
Quiue Canum toto iuſtiſſimus orbe vocaris,
Iurgia, fata, dolos, mortemque vlciſcere Leuci.
Horreſcit dictis tenebroſæ Ianitor Aulæ,
Aeſtuat, huc illuc flammantia lumina torquet,
Infernæque replens Iunonis vocibus ædes,
Excitat æternâ damnatos nocte rebelles.
Ite, precor, Furiæ per regia tecta Melampi,
Vltrices ſcelerum properantes ite Megæræ,
Tartareos Manes, ſæuumque armate Barathrum,
Inſanos animos, inſano accendite Marte,
Regnaque cum ſceptris diri vaſtate Mimantis.

His

His vbi Taenarias hortatibus impulit aures,
Dant vmbræ, tenebræque locum, plantiſque reſultant
Tartara bacchantum, tetroque voraginis antro
Erumpunt fractis Plutonia monſtra catenis.
Sic belli, lethique parens Diſcordia crinem
Vipereum quatiens primis è faucibus Orci
Proſilit. huic cæco præceps Audacia vultu
It comes, & longo ducens examine Laruas,
Gorgonas Harpyis, ſtimulat Pythonibus Hydram
Anguibus armatam Lernæ, Stygijſque Melampi
Pectus inundat aquis, Belliquе cruore profanat.
Nox erat, & terras velauerat Heſperus vmbrâ,
Stelliferique Poli medium tranſiuerat Axem,
Cerberus inſomnis linquens cùm pallida regna
Cimmerios adijt, tenebroſa palatia Somni.
Ingreſſus latrat, ſacræque ſilentia noctis
Rumpit, & horrendo perturbat murmure Somnum.
Somne, iube varij fictorem Morphea vultus,
Ora gerens Leuci, Patris ſecreta Melampi
Tecta petat, Natique ferat miſerabile lethum;
Perſephone Regina tibi ſic mandat Auerni.
Dixit, & extemplo repetit telluris hiatus,
Senſit enim pigro torpeſcere lumina ſomno.
Accitur Morpheus. illo ſolertius alter
Non mores, non ora virûm, non exprimit artus.
Iuſſa refert Somnus: peragat quæ Cerberus optat
Imperat actutum, verbiſque minacibus vrget.

Euo-

Euolat ille celer nixus pernicibus alis,
Somnia cui formis famulantia millibus errant,
Lethæoque gerens medicata papauera rore,
Mentito Leuci vultu, penetrale Melampi
Ingreditur, lentumque citò per membra ſoporem
Irrigat, & verbis illudit inanibus aures.
Hos, Pater, agnoſcis vultus, & corpora Leuci,
An vaga ſopitos deludunt ſomnia ſenſus?
Reſpice; non Leucus, ſed inanis corporis vmbra
Viſa tuos oculos, & ficta laceſſet Imago.
Ipſe tibi præſens mea triſtia fata recludo:
Excute luminibus non dignos Rege ſopores
Endymioneos, & bello vindice, pœnas
Sume Pater, Natique tui ne deſere corpus
Iactatum pelago, deceptum fraude Pithecûm,
Flamine quod rapidi verſant in littore venti.
Ingemit infelix. ſpectro, viſuque Melampus
Territus euigilat, curiſque repletus, & anceps
Somnia viſa ſibi careant ſucceſſibus optat.
Dum ſuſpenſa diu, Morpheus præcordia terret,
Diſtrahit & dubiam fallax præſentia mentem:
En ſpeculator adeſt, ſiccis cui faucibus hæret
Vox, & ab offenſo ſuſpiria pectore ducit
Triſtis Aëllomachus, veniens qui nuncius Vrbi, *Aellomachus, qui celeritate fluctus, & procellas præuertit*
Se vidiſſe refert Cynopyrgi in littore Leucum,
Arte, dolis, cœnâ Regis perijſſe Mimantis.
Attonitus dictis, ſomno, ſtratiſque Melampus

Exilit,

Exilit, & totum Ditem, Diraſque Sorores
Irato, ſpirans incendia pectore verſat.
Non chlamydem, non Coa petit conchylia, temnit
Pardorum exſuuias, non ſceptra requirit; ad arma
Clamat, ad arma phalanx clypeata feratur, ad arma
Caſtra ruant, armis vaſtentur regna Pithecûm.
Quin ructans furiale malum, quo viſcera torſit
Intima Tiſiphone, nunc huc, nunc voluitur illuc,
Et feſſum curis animum mordacibus angit.
Mobile ceu torto volitat ſub verbere buxum,
Quod pueri quatiente manu circum atria vexant
Ictibus alternis. Illud reuolubile ſaltus
Subſilit in crebros, vireſque reſumit eundo:
Segnior haud illo rapitur per tecta Melampus
Mentis inops, Regiſque furens ſine more vagatur,
Conciliumque vocat tandem, primoſque Cynarchos
Accitos intra Regalia limina cogit.
Conuenere Canum Primores, nobile muſſat
Ductorum vulgus, certâ ſub lege tuetur
Imperium Regis, preſſiſque ſilentia labris
Nutrit, & inſolitos præſagit ab ore tumultus.
Rex vbi in auguſtum Proceres venere Senatum,
Non ſolio ſurgit nitido, non fultus eburnâ
Sede quatit ſceptrum manibus regale, quod antris
Mulciber Aetnæis argento duxit, & auro:
Sed ſuper informi ligno, ſuper obſita pannis
Scamna ſedens mœſtus, rabidâ ſtimulatus Erinny
Tincta

Tincta Lycambeo confudit verba veneno.
Fœda Lycaoniæ referam quid prandia menſæ,
Atque Thyeſtæas cumulatas viſcere cœnas?
Impie quid Pelopis conuiuia Tantale narrem,
Quidue Thoanteos ritus, & ſacra Dianæ
Humanis polluta extis, polluta cruore,
Omnia cum in Leuci renouentur crimina cæde?
Extinctum memorant pacis ſub imagine, Leucum,
Atque necem miſeri cœnis fœdaſſe Pithecos,
Et peiora Hecubæ Polydoro fata ſubiſſe,
Quem Thrax accepto Polymeſtor ſuſtulit auro.
Ipſe mihi in ſomnis Leucus, dum nocte quieſco,
Ante oculos viſus, pelagi iactata per æſtum
Corpora monſtrabat perfuſus lumina fletu.
Heu quantum hic Leucus, Leuco diſtabat ab illo,
Qui ſpolijs indutus Apri, ſeu nebride Cerui;
Paruulus in noſtrâ ludebat Regulus Aula.
Per tria Cerberei latrantia guttura monſtri,
Per Scyllæ iuro, per Anubis, & ora Bubaſtis;
Non ego pro Nato curarum voluor in æſtu,
Aut graue vindictæ ſeruo ſub pectore vulnus,
Sed ferus in diros exarſi protinus ignes,
Ius quòd amicitiæ ſartum, tectumque Pitheci
Viribus imbelles auſi temerare, Melampi,
Et pacis nomen pedibus venerabile calcant,
Si modò me Regem Cynopyrgi vultis, ad arma
Ite Duces mecum, torpentia pandite Iani

Pithecus Suaſor. ſimius enim cum deforme ſit animal, ſuadet homini, vt ſe ludentem aſpiciat.

Limina

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Limina bellſigeri, ſtrictas reſerate bipennes
Faſcibus explicitis, pugnantia ſigna Draconum
Sceptriferis Aquilis componite. Bella Mimanti
Fœdifrago Regi, Regnoque inferte Pithecûm,
Gentis vt omnigenæ diſcant ſocialia iura,
Atque Melampeæ venerentur germina prolis.
Sic ait, & Canibus bellum permittit, in hoſtes
Impete cum valido fertur; bacchantibus ira
Inſtar Equi frænos, & lentas laxat hebenas.
Iam Proceres circum ſubitò fremit arma Iuuentus,
Arma Duces, vexilla petunt, haſtilia poſcunt,
Et rabidas ſtimulis vrgent haud mollibus iras.
Nos contrà clamant, nos contrà ſpicula corpus,
Atque ſinus vltrò noſtros opponimus hoſti
Laturi cædes chari pro funere Leuci;
Fata reuoluemus venientia, fœtibus auras,
Et luces vlti mortis velabimus vmbris,
Vt poſthac renuant matres producere partus.
Talibus exacuunt crebris latratibus iras,
Certatimque truces ſeſe exhortantur in arma
Pectore lymphato, raptique furore per Vrbem
More Mimallonidum bacchantur, & agmine Regem
Cingentes, deplent Naualia fœta carinis,
Caſtigantque moras, & puppibus æquora complent.
Curſitat haud aliter nigrum Formica per agmen
Horrea dum circà Cereris glomeratur in vnum
Ingentem populans robuſti farris aceruum.

Rex

Rex poſtquam fremitu pedites, ſtrepituq; quierunt
Agmina, tendit iter, felix cum plauſibus omen
Accipit, & celſas Cynopyrgi deſerit arces.

Creuit in immenſum vaſto Cynopyrgus hiatu
Telluris ſciſſus, Siculæ monumenta ruinæ,
Cuius dum ſeruat Pontus diuortia ripæ
Anguſtoque fores arctas interluit æſtu,
Dat Canibus ſedes, & patria regna Melampo.

Cynopyrgus turris aut Arx Canum.

Aſpirant auræ claſſi, tremulaſqua per Vndas,
Nereides, Panopeia, choros Tritonibus ornant,
Et vaga Delphinum Canibus glomerata caterua,
Non vnum curuo portauit Ariona dorſo.

Sic agitur pelago nando pars maxima turbæ
Nauita quiſque ſibi, remex, Proreta, magiſter,
Vnanimoque celer niſu, vitreaſque natatu
Pulſat aquas volucri validis innixa lacertis:
Pars deuecta ſalum ſylueſtri ſubere tranat;
Sectilibus tabulis fluctus pars æquoris vrget,
Innatat in trunco pars arboris incita, tonſis
Infindit pariter ſulcos, totumque dehiſcit
Conuulſum pelagus, lunatque in cornua claſſem.

Vndique caneſcunt ſpumis vaga littora, turbo
Illiſus voluit ſcopulis typhonas aquarum,
Obiectæ circum roↄant aſpergine cautes,
Et caua ſaxa Canum reſonant percuſſa boatu,
Deque cauernoſis reſponſans collibus Echo
Vocibus alternis voces incluſa volutat.

Alta

Alta petit patulo Teſtudinis orbe Melampus,
Cui promiſſa vicem longi temonis obibat
Cauda, procelloſas crebro iactata per vndas.
Aeolus hanc celeris Cymbæ formauit in vſum,
Reddidit & facilem, remo vt luctamen abeſſet,
Donauitque Cani miſſo pro munere Byrſæ,
Quâ mare turbantes ventos, & flabra coërcet.
Plaudentes Proceres vnâ coluere Melampi
Regia ſigna ratis, tabulataque puppis, & vnâ
Per freta ſubnixis impellunt pulſa lacertis,
Albenteſque cient ſpumas, & cærula verrunt.
Non aliter fertur domitor Neptunus aquarum,
Dum ſubit Oncheſton vectus Tritone per æquor,
Quem circum Glaucus, Nereus, Galatêia, Doris
Cingunt, & pelagi Dominum comitantur ouantes.
Littoribus iam Cymba Canum, iam regia Puppis
Tuta Pithecuſæ properatò adnauerat oris,
Appulerantque Rates; cùm formidabile vulgus
Exundans, turbis latrantibus, æquora replet
Camporum, pulſuque pedum tremit excita tellus.
Non Aquilo tot flabra rotat, non horridus Auſter
Decutit arboribus frondes, aut nubibus imbres
Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet arenas:
Quot peditum nimbos ſparſit, cetrataque campis
Agmina denſauit, duxitque in bella Melampus.
Emicat extemplò pelago madefacta caterua
Littus in aduerſum, feruetque Canina Iuuenta,

Per-

Perque Pithecuſam, muroſque vagata per Vrbis
Depopulatur agros, & prata virentia vaſtat.
Haud ſecus erumpunt graciles tellure Locuſtæ
Arua per, & Siculæ Cereris flauentia regna,
Meſſibus ingentem minitantes vndique cladem.
Ergò vbi confertas acies, & caſtra patenti
Rex vidit campo, iuſſit ſua ſigna ſecutas
Diſponi, ferrique frequens in damna Pithecûm.
Tu mihi Pieridum cœtu comitata Sororum
Ducito, Calliope turbas, quas Marte Melampus
Clarus in arma tulit, quibus horrida caſtra cateruis
Compleuit, legitque Duces, ſtruxitque phalangas:
Nam ruet ante dies, altoque ſub æquore tinget
Cornipedes Phœbus, quàm promere nomine poſſim
Collectas acies, quas excijt Itala Tellus,
Totaque diffudit turbati machina Mundi.
Stant vrbana Canum primâ bellacia fronte
Agmina, quæ ternis Apibus fulgentia prato
Cæruleo, placidas referant vexilla per auras.
Hæc, pro fraxineis, latèque micantibus haſtis
Ex Elephantis habent immania cruribus oſſa,
Et capulo multis fatales millibus enſes;
Arreptos quatiunt Erymanthi ex dentibus Apri.
Pars capiti fulua præfert de pelle galeros;
Pars cudone premit disjectos fronte capillos,
Et thoraca tegit maculoſæ tegmine Lyncis.
Dux horum Tuſco natus de ſanguine Theron,

Canes Vrbani totius exercitus ductores inſignia Eminentiſſima Barberina domus præferentes.

B The-

Theron venator ferox ſeu ferarum indagator. procera mole Canis Illuſtriſs. D. Marchionis Bubali Aldina ab Aldeno quod eſt creſco. Canis filia Aldana Hieronymi Aleandri. Creuit autem Aldina in Auguſtiſſima domo Eminentiſsimi Franciſci Car. Barberini

Theron ore feras ſolitus terrere per arua,
Et Pardos agitare leues, & ſternere Tigres.
Ducit Amazonias, celſa Præneſtis ab Vrbe
Mille ferox Aldina Canes, aſſueta laboris
Dura pati, curſuque pedum præuertere Ventos,
Threiciam quatiens noua Pentheſilea pharetram.
Hæc niueo candore pili, fideique nitore
Nobilis, Aldinæ ſeſe de ſtirpe gerebat,
Enthea cui, reſonans Aleandri Muſa, Maronis
Aequa cothurnati, cecinit præconia laudis.
Mille pharetrati comitantur ſigna Cynopes,
Nudaque pro pharetris quatientes oſſa medullis,
Hiſtricis immanis iaculantur ſpicula, ritu
Parthorum, Cretæ non conceſſura ſagittis.
Hi Lunata ferunt pro flexis arcubus, Vri
Cornua, ſeu Tauri Dictæis pendula neruis.
Tradere terga fugæ celeres, mutare pericla
Ancipitis pugnæ, nulli virtute ſecundi.
His operit latos humeros erepta Dracone
Criſtato pellis, nexis quam Laurus opacat
Frondibus, inde volans Phœbea luce coruſcat
Agmen Apum, fingitque fauis prædulcia mella,
Quæ non Hybla ferax, non Atticus edit Hymettus.

Thraſymenon roborifidens Eminentiſs. Card. Cæſarini

Traditur Arctoo læuum Thraſymemnoni cornu,
Qui pugnare ſagax, & bella ciere, regebat
Fulmineas acies, quas flaua Britannia miſit,
Sæua Canum nutrix procerâ mole Gigantum.

Hæ

Hæ caua ſcuta gerunt humeris, hæ nebride voluunt *è Britannia ſibi de no miſſus.*
Verſicolore ſinus, & pictos corporis artus,
Siccatoſque trucis neruos ex inguine Tauri
Pro gladio geſtant, vibrantque minantia pila,
Secta Caledoniæ duris ex oſsibus Vrſæ.
Orbe ſuper tereti ſcutorum fulta Columnæ
Cæſareæ libratur Auis, quæ ſceptra Tonantis *Excellentiſs. Caſarina familia inſignia.*
Geſtat, & ad ſpiras ludentem marmoris Vrſum
Ferrea vincla domant, clauâ cui proximus Hydram
Alcides, ſectis geminam ſerpentibus vrget.
Corpora Rex armis, ſquamiſque Draconis ad ictus
Cingit, & ex humeris ſuſpenſa pelle Leonis,
Horridus Herculeo, fuluoque ſuperbit amictu,
Cui criſtas præfert nutantes Caſside Terror.
Inde Meduſeam, qualem quatit ægida Pallas,
Aptat, & Armigero rapiens interritus haſtam
Ingentem quaſſat, capuloque innixus, ad enſem
Sic fatur. Te dextra gerit, quæ fulminat hoſtes,
Tu cædes, lethumque feris, tu prælia miſces,
Hectoreaſque minas, & faſtum temnis Achillis.
Da medios penetrare ſinus, da corda Mimantis
Semiferi, da membra ſolo, da ſternere corpus.
Hæc vbi dicta. leui factas de ſubere ſaltu
Emicat in bigas vento velocior; inde
Inſtructas acies docto moderamine flectit,
Nobilium firmo ſtipatus robore belli,
Vertice quos toto, magno quos corpore præſtat.

Hic denis ductus Canibus Titana laceſsit,
Siue Phlegonta citat, ſeu fræno ſiſtit Eoum.
Arma gerit quiſquis Mauortis parta labore
Tigridos exſuuijs, ſpolijſque ornata Leonum,
Quos veluti prædam duris venatibus egit.
Hic ſparus agreſtis, Macedum Pellæa ſariſſa,
Pandaque Teutiſco ritu fabricata Cateia
Ante micant, & pelta micat, micat aclis Ibera,
Pilaque Sarmatico præfulgent miſta dolone.
Nec mea te indictum ſecludent carmina Pindo.
Maxima pars belli, noſtrique Spathane laboris
Gloria. Te fidos inter, vigileſque Moloſſos
Felſina Palladijs, ſtudijſque acerrima Martis
Admouit Ceruæ mammis, & lacte ferino
Nutritum fouit, tremulique coagula lactis
Immulſit labris rorantibus vbere riuis.
Vtque ferox pugnas, dextrâque ferocior arma
Horrida tractares, clypeo tres addidit enſes,
Ternaque perpetuò vernantia Lilia pinxit,
Staret vt illæſus, læſo cum ſanguine candor.
Tu ſimulare fugam, celeri properare recurſu
Edoctus, glomeras ſinuoſos orbibus orbes,
Oſtentanſque artem profugum iaculantis in hoſtem
Velitis, inſtauras Parthorum prælia more,
Telaque conuerſo fugientia dirigis arcu.
Tam benè Caſtrorum poſitis ex ordine rebus.
Ante Pithecuſam duxit præcincta Melampus

Spathanus, enſifer, Canis Eminentiſs. Card. Spada.

Agmi-

Agmina, palantes præcepit obire cohortes,
Horribilique Canum turbari prat a boatu.
Iam Thous armipotens, cui fas indicere bellum,
Eminus aduerſos telum contorquet in hoſtes
Principium diri congreſſus. Ferrea iactu
Haſta volat, muroſque quatit, mortemque minatur
Cuſpide funeſta. Canibus confuſa tumultu
Corda calent, cunei firma compage ſoluta
Laxantur, latoſque replent Legionibus agros,
Aſper & inde Canum ſæuit latratus in auras.
Prima Duces dât ſigna Lacon, Charidemus, & Arges,
Spartanâ de gente Lacon, Charidemus Hymetto
Ortus Erecthæo, Cyprijs è collibus Arges.
Inde ruunt alij: Ladon ex Matre Lacæna,
Nebrophonos Chius, Therapon Smyrnæus, Aello
Arcas, & è Latio duplex cognomine Fronto,
Quem geminâ cum prole Canis comitatur Hetruſca,
Albenti diſtincta nigram cum ſidere frontem.

Thous velox Canis Fecialis penes quẽ erat ius indicendi bella.



CYNOPITHECOMACHIÆ

LIBER SECVNDVS.

VT pugnæ ferale dedit vaga teſſera ſignum,
Vtque feros animos volitans accendit in iras
Pinus, & Iſiaco pulſata cucurbita ſiſtro
Horrendum tonuit, ſtrepuereque cornua flictu:
Fama Pithecorum trepidam librata per Vrbem
Fertur, & inſolitis ſuccincta pauoribus alas,
Millia rumorum, confuſaque murmure voluit
Verba fremens, voceſque refert, hoſtilia caſtra
Agmine partito pratis impune vagari,
Inſtructoſque Canes totis deſcendere campis.
Latratus, ſtridor lituum, clangorque tubarum
Terrificant animos, triſtique repleta timore
Pectora perturbant; ſic quiſque pauendo loquaci
Dat vires Famæ; quæ veris addere falſa
Gaudet, & auditis aliquid cum fœnore miſcet.
At vili fœdata metu non ora Mimantis
Intrepidi pallent; timidos hic increpat, iras
Confuſis flammat verbis, & verba furore,
Inque Canes vectus labra indignantia ſoluit.
Quid vos attonitos ſubiti terrore tumultus
Aſpicio Ciues? improuida Caſtra timetis
Imbellis turbæ? ſunt hæc, ſunt præda Pithecûm
Ornatura Lares, & noſtri pompa triumphi.

Nec

Nec vos imparibus video concurrere fatis
Excordi cum gente Canum, cum plebe ferarum.
Reddite nunc vires animis, & corde timorem
Mittite; nec quiſquam veſtrûm ſe ſubtrahat armis,
Sed vocet vnanimes Patriæ labor vltimus omnes.
Sic fatus, pauidos dictis, & robore firmat,
Armat & ad varios Fortunæ pectora caſus.
Imperat interea circumdare mœnia vallo,
Aggere turrito muros firmare labantes,
Illaque diſponi, quæ fuſos eminus hoſtes
Propulſent, pellantque procul pugnantia caſtra.
Prõptus ad arma ruit metuendus cæde Chorœbus, *Chorœbus tripudiator, ſaltator.*
Qui leuibus ſolitus ſemper vigilare ſub armis,
Regis, & omnis erat cuſtos fidiſſimus Aulæ,
Feſtiuos natus gyro glomerare rotatus,
Atque pedum crebro ſe tollere in aëra ſaltu.
Hic Iuuenes doctos fundæ Balearis habenæ
Mille trahit ſecum, longè qui ſemina glandis
Chaoniæ vibrant magni pro pondere ſaxi.
Emicat excelſa pugnax è mole Podarces, *Podarces, qui pedũ celeritate præſtat: Pithecus fuit Dom. Quintij Bubali Iudais pariter, ac pueris valde infenſus.*
Dulichiâ qui puppe miſer deſertus Vlyſſi,
Mutatos ſenſit vultus poſt pocula Circes,
Confuditque comam ſparſis in terga capillis,
Gentis Idumææ, Iuuenumque aſperrimus hoſtis,
Quem niſi cocta recens lenibat collyra furno.
Is Volucrum ſolitus præuertere curſibus alas,
Scandebat muti pendentes aëre pinnas.

 Et

quem 'antum oblata collyra lenibant.

Et pedibus celeres centum ductabat Ephœbos,
Iuncea qui latè iaculantes tela lacertis,
Pro thorace, leui præcingunt ſubere pectus,
Subereuſque caput velat pro tegmine cortex.

Troctes Vorator.

In Labyrintheo variantis limine portæ
Bella gerebat atrox criſtata caſside Troctes,
Arcis Abydenæ qui ſe de gente ferebat.

Ante Ducem tantum graditur generoſa Iuuentus,
Pro galeis ornans Nuceo de cortice crines,
Quem mitratus Arabs, & diues miſerat Indus.

Parma tegit læuam cannâ conteſta paluſtri,
Cauleque radicum dextram circumtegit enſis,
Enſis ob aſſiduas conſperſus ſanguine cædes.

Armatur terrore Mimas, capitique minaci
Stat formidato Caſſis nutamine coni
Horrida, cui latè prætenditur vmbra comarum.

Arma Faber Regi, Siculis conflata caminis,
Qualia Pelidæ quondam fabricauit Achilli.
His iter Aeneæ profugi, Comitumque labores
Aequore perpeſſos cælauerat, vnde Pithecûm
Edita progenies olim cunabula duxit.

Læuâ tegmen habet nulli penetrabile telo,
Cuius in obuerſo ſpirans vmbone reſultat
Ira, Furorque comes, Fremitus, Pauor, Impetus, Horror.

Præ manibus Raphanum quaſſat, quem falce Priapus
Lampſacij cuſtos Horti formauit in haſtam;
Heu quantas ſtrages, cladeſque hæc haſta ciebit.

No-

Nobilis inſtar equi præſtantia mole Pitheci
Terga premit docilis, pronuſque in verbera pendet,
Perque vias equitans modò caſtra reuiſit, & arcem,
Et modò proſpectans altis è turribus hoſtem,
Horriſono mandat rumpi fera claſſica bombo.

Talis Alexander fumantes ſanguine ductor
Bucephali ſtimulabat equi calcaribus armos,
Gentis Achaemeniæ dum ſterneret agmina cæde.

Mœnibus intereà raptim clypeata propinquat
Turba Canum, ſequiturque fremens exercitus omnis.
Horret ager iaculis, armiſque minacibus ardent
Expliciti Campi; fundit Balliſta molares,
Et Catapulta nemus telorum nacta, Pithecûm
Torquet in ora, leues ſtrident haſtilibus auræ.

Iam coryli, iam poma volant, iam pinea grando
Pinetis decuſſa cadit, cadit Ilice nimbus
Glandis ab hirſuta, ſaxoſa feruntur in hoſtes
Corna, nuceſque ruunt, barbataque miſta volemis
Meſpila vibrantur, Cretæa Cydonia fundæ
Verbere torquentur valido, nec pruna, nec vllum
Malorum, Peponumque genus de culmine ceſſat.

Sternitur omne ſolum pomis: tùm ſcuta laborant
Pondere telorum, ſurgitque aſperrima pugna,
Stricta, paratá neci ſtat ferri cuſpis in ora,
Et percuſſa gemit tellus ingentibus armis.

Veris vt in primo glomeratis tempore nimbis
Terrarum, Cœlique ſinus crepitante remiſſet

Grandine tempeſtas, & crebro fulminis ictu
Territat obductis mortalia corda tenebris:
Vndique ſic rapido volitantia poma rotatu
E muris demiſſa tonant, & ſaucia plagis
Agmina cum Ducibus gelida formidine replent.
Cęperat arma Canis Ledæis ortus Amyclis
Tichobates quimurosſcādi. Tichobates primus, quem valli cura premebat.
Hic ramoſa ferens pro ſcalis cornua Ceruı,
Sarcula cum raſtris aptans, furcaſque tricornes,
Tentat muros, aditumque per auia luſtrat,
Occultuſque ſalit per cœcos tramite calles,
Quâ rara eſt acies, & cuſtos ratus oberrat.
Admotis cernit ſcalis conſcendere muros
Sycodamas, domator, ſeu vorator ficuum. Sycodamas, calathos qui nexos vimine, ficis
Implet, & irridens vani conaminis hoſtem
Verſat in audacem, muriſque repellit, & infit.
I nunc, & Capaneus alter diceris in Orbe
Oedipodioniæ dimenſus mœnia Thebes.
Labitur infelix coniecta grandine, vitam
Deſerit, & dulci perfunctus morte quieſcit,
Nuncius innumeræ venturæ ad Tartara turbæ.
At non Hylæus fratrem deſpexit inultum.
Mille etenim gradibus motis ad mœnia, moles
Diſijcit, atque Canes vltricia in arma fatigat.
Tu mihi bellorum, tu Martia teſtis Enyo
Armiſonâ molire tubâ, quot cæſa ſub vmbras
Corpora, quot lethò, quot funera miſit Auerno.

Quot-

Quotue repercuſſos ſummâ turbanit ab Arce,
Infandâ mortis fraternæ feruidus ira.
    Decidit è muris transfixus fragmine coſtas
Morphander Ductor, Ceraſon, & Pamphagus, omnes
Vno Patre ſati Materno ventre reciſo.
Huic haſta pectus, petit illius ora boatu,
Huic artus lacerat, diſcerpit dente Philartum,
Ducentem choreas, doctumque ad bella Choragum
Dat morti, ſternitque vagum ſine nomine vulgus.
    Hyichares natos vlturus, protinus enſem
Hylæi tumidi tumido in pulmone recondit,
Nec rabiem in cæſo deponens hoſte furoris,
Harpalon, & Dorceum, Troxartem, Lælapa, Gauron,
Quem rictu, quem dente necat, quem morſibus vrget.
    Vt trux Hyrcanis, Libycis ſeu montibus Vrſa,
Siue Leæna furit, fœtus dum quærit in antro,
Quos pernix furtim raptos venator abegit:
Sic Pater Hyichares furiarum concitus œſtro
Sæuit, & horrendis infeſtat cædibus hoſtem.
    Læta ſed aligero labuntur gaudia curſu,
Nec facies plaudit ſemper lætiſsima rerum:
Nam nimis vltrici dum Mœnade fertur, Oraltes
Armiger Hylæi, fiduſque ad limina cuſtos.
O Ducis, ò noſtri ſpolijs indute, malorum
Supplicio ſatur, meritas dabis improbe pœnas:
Sic orſus, ſpumantis Apri, quem perculit olim
Venatu, collum falcato dente recidit,

Morphander hominis formã habens.
Ceraſon Ceraſorũ vorator.
Pãphag⁹ Heluo.
Philartas amicus panis.
Choragus Chori ductor ſaltãtis.
Hyichares, qui filijs gloriatur.
Hylaus latrator.
Harpalus raptor.
Dorceus perſpicax viſu.
Troxartes panem comedens.
Lelaps celer veluti procella.
Gauros generoſus.
Oraltes tranſiliens montes.

Mittit & ad tacitos viſurum Pignora Manes.
Fortunate Senex, qui victus, Victor, & vltor
Amiſſos armis Natos, iterumque reuiſis,
Et claudis longos animoſa morte labores.
Tanyurus caudā habens prolixam. Hîc Tanyutus habens ſinuoſa volumina caudæ
Percutit hos, illos iterato verbere cædit,
Et rotat in gyrum criſpans haſtile lacerto.
Aſbolus niger vt fuligo. Saucius inde cadit Sicyonius Asbolus haſta,
Dentibus hic hærens admorſæ immurmurat haſtæ,
Exhalatque animam pleno ſingultibus ore.
Dromas pernix. Hinc Dromas,inde Nape,cadit inde Pilaſter,& Agre,
Nape ſylvarum cultrix. Hypſiboas, Lachne, Lepori trux dente Lagous,
Labros, & Agriodos, Pterelas, cum Tigride Lampus,
Pilaſter villoſus. Et Regis Pyrrhi niuea de ſtirpe Moloſſus:
Hypſiboas vociferator. Dilectus Canibus, quo gratior ore refulſit
Nullus in hoc bello præſtantis munere formæ.
Lachne hirſuta. Languit hic moriens, vt flos exciſus aratro,
Lagous Leporum appetens. Veris adhuc placidum ſeruans dum languet, honorem,
Huic decus haſta rapit, roſeum rapit haſta decorum,
Labros vorax. Et formoſa replet perfuſis ora tenebris.
Agriodos aſper dētibus. Cæſa cateruatim tam diro Marte Philamon
Corpora dum vidit, doluitque cadauera, ſole
Pterelas piniger ob celeritatē. Fœda ſub ardenti putri liueſcere tabo;
Fragmina de ſcopulo, tulerat quæ fluctus aquarum,
Tigris velox. Viribus æquandis Polyphemi turbidus Arcem
Lampus lucidus pile. Iecit in aduerſam, tormento fortius; ictu
Saxa Giganteo latè vibrata, Pithecûm

Car-

Corpora ſtrauerunt. caſu, ſtrepituque cauerna
Mugijt, & tellus rubuit repleta cruore.
Hunc Picena Canum nutrix, oleæque Mineruæ
Miſerat Adriacis obnoxia fluctibus Ancon.
Proxima Regali clypeo Regina Sabaudo
Fulta, ſequebatur ducens in bella cateruas;
Hæc medias acies inter, bis caſtra pererrat,
Bis conuerſa fugâ per muros agmina vertit
Ore ferox, quam biga Canum falcata per hoſtes
More triumphali vectabat concita curſu.
Terret vt infauſtus Regnorum ſceptra Cometes,
Sanguineos radijs ſpargens feralibus ignes;
Vtque minax errat Nautis infeſtus Orion;
Sic Regina globos inter deuecta Pithecûm,
Fulgurat aſpectu, facibuſque minacibus ardet,
Ventilat & crinem vibrantem ſpicula mortis.
Incitus inde Mimas funeſtis omnia replet
Cædibus, & Canibus, nullo diſcrimine cladem
Suſcitat, irarumque omnes effundit habenas.
Sic Elephas veluti manante cruore Libyſſus
Theridamanta necat, pulſumque Lagoctona curſu
Fundit humi, Scymnumque tenus ſpirantibus extis
Tranſadigit gladio. Lampuro ſpiritus oris
Obſtruitur preſſus. Medijs reſupinus in aruis
Ichnobates animam, Stricte ſpiramina vitæ
Linquit, & alba niuis quæ præſtitit Iſſa nitores,
Grata fide, formoſa pilo, formoſior ore,

Moloſsus pugnax: ſeu ex moloſsia Regione Epiri. Philamon amator. ſeu amatus. Canis Venaticus Eminētiſs Pētri Maria Card. Burgheſij Regina Canis generoſa Sereniſsimi Principis Maurītij Cardin. à Sabandia

Theridamas Ferarum domitor. Lagoctonx Leporum occiſor. Scymnus catulus iratus. Lampurus habēs caudā albicantem

Bibnola tor veſtigiorũ ſecutor. Sticte maculoſa. Iſta feſtiuiſſima Catulla Eminētiſſ. olim Scipionis Card. Burgheſii. Pluto diues, diuitia. Canis nigerrimus Eminentiſſ. D. Card. Antonij Barberini.

Purpureo niueos conſpergit ſanguine vultus.
Luſibus hanc natam, facilemque ad ludicra pauit
Scipio delicias inter Burgheſius Heros,
Quem faſces, quem mite decus, quem ſuſtulit aſtris
Purpura Burgheſios nunquam taciturat triumphos.
Te quoque conſpectum nigro velamine Pluto,
(Dum Barberino dignum te Principe reddis)
Sors tulit è medio. Non culta monilia collo
Pendula, nec dudum tibi gloria nota per hoſtes
Profuit armigero, nec odora ſagacibus aura
Naribus expirans te iuuit. Digne Mimantis,
Non aliā dextra rigidis occumbere fatis.
Sed quid ego cæſos, lacrymoſaque funera pando,
Atque Pithecuſæ ſceleratos ſanguine muros?
Non ſi Mœonio redimitus tempora ſerto,
Nec ſi centenis reſonarent vocibus ora,
Aut totum ſpirans Helicona dediſſet Apollo,
Exequerer numeris certis, ſeu lege ſolutis,
Quas ibi tum cædes, quas cædibus ira Mimantis
Edidit infeſti ſtrages, quæ corpora Diti
Deuouit, quantoſque Canum calcauit aceruos.
Paſſim membra iacent, reuolutaque puluere ſigna
Apparent paſſim, Ductores turba requirit,
Præcipitata gemunt, raucoque fragore rotantur
Arma tubis, clypeis arcus, enſeſque pharetris.
Tot non Iliacus Simoes correpta ſub vndis
Scuta Virûm quondam, galeas, & ſpicula voluit,

Dum

Dum ſtricto mucrone neces inferret Achilles.

Hæc inter tumidus Salios, agileſque Lupercos
Aſſimulans properis Martinus greſſibus ibat,
Serica cui veſtis, gemmataque fibula morſu
Virgatum ſagulum referebat Colla monile
Horrida mordebat baccatum. Syrmate caudæ
Setoſæ geſtit, faſtuque ſuperbit. in ora
Obijcit agminibus tardi molimina belli,
Vociferans longo digna, atque indigna relatu.

Martinus paruus Mars Simius ſeſtiuiſsimus eiuſdem Eminētiſs. D. Card. Antonij Barberini.

En, qui iure ſibi deberi Regna Pithecûm
Contendunt, cauſantque dolos, & funera Leuci,
Quis vos huc miſeros venator adegit Anubis?
Quis vos Actæon, vobis data præda, feſellit?

Non hîc imbelles Damæ, Leporumque cateruæ,
Quiue ſolet foſſis latitare Cuniculus antris,
Aut annoſa gerens longæus cornua Ceruus.
Nos à ſtirpe genus durum, inſuperabile bello,
Aſſuetum ſemper ſyluis, & viuere rapto.
Sunt animi nobis, eſt nobis Martia Virtus.
Vobis plena cibis, menſiſque referta Taberna,
Deliciæ, lautis iuuat indulgere Popinis.
Turba Canum vecors, timidis exorta catellis,
Fortibus arma feris, & nobis cedite caſtra.

Tum quemcumque Canum ſolâ concurrere pugnâ
Poſcit, & horrendo bellaces ore laceſsit.
Sic iter explicitum, ſparſam metitus & vmbram,
Inceſſu, paſſuque graui faſtoſus oberrat,

Præ-

Præſcriptoque notat perarata noualia gyro.
Stabat in aduerſo robuſtis viribus Vmber
Agmine fulmineus, iuſtâ qui percitus irâ
Exacuit rabidos, præmorſo carcere, dentes.
Hic, vano, Martine, tuo quid robore fidis
Inquit, & opprobrijs conuicia deſuper addis?
Ampullis quid verba refers vndantia? ſiſte,
Nos rapit vnus honos, campo nos claudimur vno,
Vnaque arenoſis nos detinet area ſeptis:
Nunc tibi ſi virtus, animuſque in pectore ſedit,
Incipe, & inuictam mecum tu conſere dextram;
Odit Therſitas Nemeſis, timidoſque Gradiuus:
It præceps effatus, & impete robora tentat
Herculeo: cœcos auidus collidit in artus
Martini calces, protrudit pectore pectus,
Cum pede pes iunctus, cum corpore corpus adhæret,
Et modò ſtat ceruix, modò crura labantia, fronte
Frons premitur, ſors, & virtus miſcentur in vnum.
Arte vafer Martinus agit, morſuſque retorquet
Morſibus, & fortes, quibus acer præſtat ad ictus
Incumbit totus, digitiſque micantibus, vngues,
Et dentes hoſti rigidos infigit in armos.
Quales ira Sues, diram quos cominus egit
Ad pugnam, & denſis erexit pectora ſetis,
Igne rotant orbes oculorum, dentibus ora
Lunatis reſonant, ſetoſaque terga rigeſcunt:
Tales ſe contra pugnant duo fulmina belli,

Quæ

Quæ fuſo ſplendore replent, & murmure terras.
Dum certant, dum terga premunt, dū pectora niſu
Alterno pellunt, grauioraque vulnera miſcent,
Et magis effuſo crudeſcit ſanguine pugna;
Agmen adeſt vtrumque, vetat certamina voce,
Et ſæuire Duces prohibet: Quin fœdere iunctos,
Mutatis armis, verbis affatur amicis.
O ambo virtute pares, maiora reſeruat
Præmia Sors vobis. Sic bella diremit & iras.
Iamque ſub æquato certabant Marte cohortes,
Surgebant pariter victi, pariterque ruebant
Victores: nullis fuga, nullis cognitus horror;
Quin Mars armipotens animos, vireſque Pithecis
Addebat, ſtimuloſque dabat ſub corde furoris,
Mittebatque fugam Canibus, trepidumque timorem:
Ni Coniux Furijs agitata Lyciſca Moloſsi,
Agmina turbaſſet denſis inimica maniplis.
Vidit vt hæc pulchras porrecti morte Mariti
Exſuuias haſtâ ferri per Caſtra Pithecûm,
Baſſaridum ritu media inter millia tendit,
In denſas dat ſeſe acies, volat, emicat, ardet,
Prima ſui non illa memor, non illa pericli,
Arma cito clamat, ſcalas in mœnia poſcit,
Et fundit, ſternitque Duces, & ſæuit in hoſtem,
Vtque recens inter cædes exultat Amazon.
Obuius enſe cadit traiecto corde Silurus
Innumero totum confoſſus vulnere corpus,

Lyciſca ex Lupo, & Cane na'a in amæniſſima pago Gādulphi Villa.

Silurus quatiens caudam.

Huic

Huic multus remeans circum præcordia ſanguis
Hæſit ab infectæ flueret quo vulnere venæ.
Ocyalus morſu, moritur Phyſignathus harpe,
Dentibus Artophagus laceratus in aëra iactat
Vulneris impatiens arrecto pectore crura.
Vngue Phaon, Pſicharpax enſe, Phobetor, & Hyblon
Intereunt haſtâ mutilati corporis artus,
Atque Pithecorum funeſtâ cæde piatur,
Qui cecidit Coniux hoſtili ſtrage Moloſſus.

Ocyalus velox ſaltu. Phyſignathus qui maxillis tum.t. Artophagus panē edens.

Non ſic armatas turbat Bellona phalangas,
Argolicas acies, nec ſic diſterminat haſtâ
Penthesilea furens ſtrictos metuenda per enſes,
Vt furit infeſtans palantia caſtra Lyciſca.
Hæc ex patre lupo Gandulphi iuncta Moloſſo
Vana gerens animos elatos, voce ſuperbâ
Increpat euictos; magnum, & memorabile nomen
Eſt partum vobis hodie; referetis in Orco,
Alterius dextrâ domitos cecidiſſe Camillæ.

Phaon lucen pilo. Pſicharpax micarum raptor. Phobetor qui vultu territat alios. Hyblon curuus.

Sic effata Chromis vitam diſpergit in auras,
Cædibus inſultat, cædentiaque agmina terret.
His indignatus dictis muliebribus Harpax
Heroum Ductor fortiſſimus, ora rubore
Suffundit ſparſo, verſumque redarguit agmen.
Quis metus, ò ſocij, ſeu quæ tam fœda Pithecûm
Pectora ſegnicies inuaſit? ſola Lyciſca
Fœmina, quo libuit vertet Mauortia Caſtra?
Hos fruſtra clypeos, fruſtra hæc præcingitis arma,

Chromis ſtriacus. Harpax raptor, Simius Illuſtriſſimi D. Petri Caſtini Equitis Hieroſolymitani.

Irri-

Irritaque imbelli geſtatis tela pharetra.

Per vos, per qui vos, oro, genuere Parentes,
Per Patriæ nomen, per fortia facta Pithecûm,
Siſtite, me vobis vltrò, Regique Mimanti
Deuoueo, & mortem cupio pro laude paciſci.
Sic ego vel ſpolijs raptis ornatus abibo,
Vel letho inſigni morientia lumina claudam.

Talibus accenſi dictis firmantur. Et ille
Candule, cui rugis pecarauit anilibus ora
Iuppiter, vnde genus primum traxere Pitheci,
Da precor hoc noſtris aboleri dedecus armis,
Et rege diffuſas volitantia ſaxa per auras,
Vnus vt obiectum crimen commune refellam.

Candulus ſimiarum Parẽs, qui primus à Ioue in ſimiũ tranſformatus fuit vna cũ fratre Atlante.

Dixit, & iratis ſpirans è naribus ignes
Deponit ferrum: firmo, validoque lacerto,
Vt Libys, vt flexâ Balearis ſæuus habenâ,
Ter, quater in gyrum contorto verbere fundæ
Ingenti grauidæ pomo caua tempora frangit,
Oraque diſpergit calido tepefacta cerebro:
Et ſimul. I, verbis vires illude Pithecûm,
Fortibus hæc timidi Canibus reſponſa remittunt.

Voluitur illa ſolo, qualis vertigine turbo
Pugnantes inter comites: Collapſa recumbit,
Deflexa ceruice ſuper languentia terga,
Alloquiturque cadens extrema voce Melampum:
Hactenus vita necem ſum Coniugis; hactenus hoſtes
Præcipites egi, populataque caſtra fugaui.

Te

Tu Rex interea, quod mens præſaga reuoluit,
Accipe lætanti vultu. Felicibus armis
Bella geres, palmamque feres, Victoria finem
Vindictæ, pugnæque dabit, populumque Pithecûm
Seruitio, vincliſque premes, grauibuſque catenis.

Hinc Cynopyrgeæ patriæ Capitolia victor
Conſcendens magnum duces ex hoſte triumphum,
Quem memori voluenda dies nunquam eximet æuo.

Hæc vbi verba dedit, cæcis inuoluitur vmbris,
Inque peremptorum tumulatur preſſa triumpho.

Cernit vt hanc domitam lethi pallore Melampus
Comprimit ore grauem, quem cepit corde dolorem,
Torpenteſque Canum vires, fractamque Cynopum
Nunc prece, nunc dictis virtutem incendit amaris.

Non pudet inuictos tam ſegni Marte ciere
Prælia, iam veſtris Ductoribus vndique cæſis?
Non pudet inuictos inter tot ſæua pericla,
Otia degeneri traducere lenta veterno?
Antiquum renouate decus, nomenque ſuperbum,
Iam clarum cunctis, & formidabile bello.

Scandite vos mecum muros, perfringite poſtes,
Sumite cæſorum, crudeles ſumite pœnas,
Atque Pithecorum luſtrentur ſanguine Manes.
Vi pateant aditus, iter armis, mœnia telis,
Alta cadaueribus conſurgat in æthera moles,
Saucia membra natent, fuſoque cruore tepeſcant,
Regis & inuiſi mergantur nomina Lethe.

Dixit

Digitized by Google

Dixit, & auerſas mentes hortamine flammat,
Accenſos monitu, præclaraque facta Cynæchos
Spectantes Regis, dolor, & pudor armat in hoſtes.
Acrius inde Brimars, & Turnus nobile fratrum
Par, ineunt pugnam; Belli ſarcire ruinas
Incumbunt vaſtas, hinc crebros ictibus ictus,
(Ambo pares animis, præſtantes viribus ambo)
Ingeminant, fœdo miſcent cum vulnere cædes,
Perque globos, acieſque truces, per & agmina rapti
Qua feriunt, qua membra ſecant, qua corpora truncant,
Hoſtili de plebe ſtruem, fœtumque trophæis
Tollentes ſubito confuſæ ſtragis aceruum,
Auguſti Populi victricia ſigna recludunt,
Bellatrix quæ Roma dedit pro fortibus auſis,
Cæſareâ de ſtirpe Duci, cui nomen Iulus.

Brimarte & Turno Canibus venaticis gloriatur Excellentiſs. D. Iulian' Dux Cæſarinus inclyti Popul. Rom. Vexill. fer

His comes armorum Pluto cum millibus ibat
Dux Canibus, villis, totoque nigerrimus ore.
Inclytus hic titulis Domini, Regnantis alumnus
Aulai, clarus Plutonis origine patris,
Latratu Stentor, Mauors acerrimus armis,
Militis Auſonij ductor, molimine quaſſat
Ingenti vectes, frangitque repagula portæ.
Fit via vi, rumpunt aditus, munimina vertunt,
Cæduntur vigiles, portiſque patentibus intrat
Lecta manus, iunctuſque furit per compita miles.

Pluto Senioris Plutonis filius Canis Eminētiſs D. Card. Antonij Barberini Victor cōfringit portas Pithecuſæ.

Non ſic aggeribus fractis, cum percitus amnis
Exijt, oppoſitas euertit gurgite moles,

Aut

Aut indignatum pelagus maioribus vndis,
Verberat Heſperiam Calpen, & littora Thules.
Ianua fracta ruit, procumbunt ariete muri,
Ariete, qui Latij fabricatus cornibus, ictu
Pulſabat valido munitas turribus arces.
Portarum ad caſum reboarunt vndique fluctus,
Littoris vmbroſæ penitus patuere cauernæ,
Centimanuſque Gigas ſubſtratus rupe Typhœus
Territus, Inarimes ſuccuſsit viſcera motu.
Iamque Mimas laturus opem, munimine vectes
Cingebat fractos, ſæuumque tonabat in armis,
Cum notæ Regis turbæ micuere. Melampus
Hoſtis adeſt, clamat, ſocij, deſiſtite pugnâ;
Quæcumque eſt fortuna, mea eſt, me perfidus vnum
Vltorem meruit, ſoli mihi pœna Mimantis
Debetur, ſolus poſco decernere ferro.
O vtinam pugnæ Leucus ſpectator adeſſet.
Sed ſequar; à tergo Mauors, ni fata reſiſtant,
Sufficiet vires, nec Leucus inultus abibit.
Dixit, & educto denſum volat enſe per agmen
Accenſus Furijs. Solum petit ære Mimantis
Pectus, vt inflicto lethali vulnere, victor
Occiſo referat clarum de Rege triumphum.
Ille cito ferrum ſaltu, celerique regreſſu
Exiliens vitat, clypei ſeptemplicis orbe
Fulmineos ictus, & verbera dira retundit.
Non Telamone ſatus clypeum Salaminius Aiax
Oſten-

Oſtentat talem, dum prouocat Hectora pugnâ.

Protinus igne Mimas correptus vindice, vultus
Fertur in aduerſos rapidus, Regiſque Melampi
Intuitus toruis oculis immania membra,
Tolle minas, inquit, vanas, fictaſque querelas;
Ceſſabunt faſtoſa truci cum verbere verba.

Sic ferrum ſtringens partes verſatur in omnes
Horrendus viſu; clypei molitur in oras
Ictus, & latebras animæ recludere quærit.

Ac velut armatus, celſam qui molibus arcem
Oppugnat Ductor, nunc hæc, nunc illa pererrat
Arte loca, & fruſtra crebris aſſultibus vrget.
Haud ſecus omne Mimas ſcrutatus in hoſte Melampo
Corpus, nequicquam vultus, & pectora tentat.

Tot poſt conatus tandem, poſt irrita Regi
Vulnera lata, Mimas guttur mucrone cruentat,
Quâ ſonus anguſtis, & ſtridor faucibus exit:
Ac ſimul, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis,
Inquit, & hic Regum penetrat præcordia mucro.

Sanguine Rex ſparſo dignam ſe protinus iram
Concipit, & diris animum calcaribus angit,
Inque Mimanteos artus, & pectora ſurgit
Vi multâ, laceratque ſinus, laniatque lacertos,
Illudenſque minax inimicâ voce profatur.
Hoc te, deceptus vindictæ vulnere Leucus
Immolat, hac gladij petit ilia cuſpide Leucus,
Et pœnas vltus ſcelerato ex hoſpite ſumit.

Vt

Vt duo præſtantes ſurgunt in prælia Tauri,
Ira quibus, cœcuſque furor, quibus arma miniſtrat
Dux amor, & ſtimulis raptum furialibus œſtrum.
Viribus hi paribus ſubmiſſo vertice, figunt
Cornua conuerſis hoſtilia frontibus, armos
Ictibus inuadunt, ſudore natantia colla
Flumine ſanguineo, ſpumiſque tumentibus implent.
Tunc nemus omne gemit, Cœlumq; fragore remugit,
Congreſſuque tremit tellus, quatiturque tremore.
Stat, ſtupet armenti Cuſtos, pauiduſque recedit,
Fixaque Taurorum miratur vulnera membris.
Haud ſecus infræno concurrunt impete Reges,
Inde Mimas, illinc rabido trux ore Melampus,
Bellaque commiſcent Mundi ſpectanda theatro.

Irarum interea verſat dum vindice fluctus
Corde Mimas, pugnæ quicquid valet arte reuoluit
Efferus, infrendens animis; & nequid inauſum,
Aut intentatum fraudiſque, malique relinquat,
Corpore cum toto ſurgit, ſtrictoque Melampi
Colla petit ferro: ſed partes diſſilit enſis
Perfidus in varias, medioque fatiſcit in ictu,
Seminat & late rutilantia fragmina campo.

Omine fatali victus dum cernit inermem
Enſe Mimas dextram. Quid prodeſt, inquit, in armis,
Viribus aut validis inuito fidere Marte?
Non rabies, non ira ferox, non torua Melampi
Ora Mimanta domant: Me, ſors inimica colubris

Vi

Vindicibus terret; Leucus me deſtinat vmbris
Pæ tinctus, Diriſque vouet, vexatque furore,
Meque vocat cauſam, crimenque, caputque malorum.
En frangor fatis, en ſceptri iura relinquo,
Culpatuſque Mimas ignotas vado per oras;
Tempus erit forraſſe fugæ, cum damna rependam.
Sic ait, & rapto curſu fugit ocyor Euro
Auius in Syluas, & cæcis abditur antris,
Laurigeros faſces, mox indignatus & Aulam,
Queis Reges, Regumque Duces, ſæuique Tyranni
Confiſi, Populos, firmataque fœdera temnunt.
Vt Regis patuere fugæ veſtigia, campo
Caſtra Pithecorum, decedere plena tumultu
Coguntur, ſceleri dantur confuſa nocendi
Iura, modum ſtragis veſana licentia neſcit,
Inque Pithecorum Rabies armata cruorem,
Tiſiphones præfert, toruaque flagella Megæræ.
Quis nunc innumeras cædes, quis ſtragis aceruos
Explicet, aut fando crudelia funera narret?
Telorum nimbo paſſim peritura Iuuentus
Obruitur, paſſim compreſſus ſanguine puluis
Promit humo ex altâ confoſſa cadauera telis.
Hos vaga palantes pratis fuga voluit, & illos
Mœnibus includit, timidoſque in turribus Arcis
Claudit, & exitium certum, præſenſque minatur,
Ac velut examen trepidans imbelle ferarum,
Abdita conſpecto perrentat luſtra Leone,

Solertique petit denſos indagine ſaltus:
Sic viſo per caſtra truci ſæuire Melampo,
Agmina maturant firmo ſe cingere vallo,
Ne caput obiectent per mille pericula belli,
Dum ſero ſapiunt Iuuenis pro crimine Regis,
Hoſpitij qui vincla reus polluta reſoluit,
Hoſpitis & Leuci fœdauit prandia letho.
  Incluſi pauitant: rerum, feſſique ſalutis
Eoas, mediaſque Plagas, quas æſtibus vrit
Phœbus, & extremi vellent confinia Mundi.
  Triſtibus interea miſcentur fletibus Aedes,
Et magis, atque magis reuolubilis ingruit horror.
Lamentis vox miſta ſonat, ſparſuſque per Vrbem
Acquirit vires rumor, præcordia terror
Succutit horrificus, tremor ima per oſſa recurrit,
Caſtra metu correpta iacent, concuſſaque Vulgi
Pectora, belligeri detrectant munia Martis,
Vlla nec afflictis ſperant ſolatia rebus.
  Limine ſub portæ dum pugnat fortiter enſe,
Et clypeo fultus lapſis pro turribus aſtat,

Troctes Vorator. Badinus graui paſſu incedēs Simiolus Eminētiſſ. D. Card. Petri Mariæ Burgheſii.

Occidit agreſſus Troctes, fortiſque Badinus
Impete compreſſus moritur. Tua fata Badine
Delicium Domino gratum, Burgheſia fleuit
Heroum ſedes, titulis, trabeiſque ſuperba;
Te demiſſo crine, triplex te Gratia luctu,
Te Iocus, & Ludus, deſertaque turba Pithecūm
Luxit, & effuſo lacrymas Tibris edidit amne.

Te

Te propter tereti percuſſâ Themilla dolone
Occumbit, Charitæa cadit, cadit enſe Nealces,
Attacus, & Calaris, dum vocem gutture promunt,
Cocyti triſtes lugentia flumina ſorbent.
Nec modus hîc vllus cædis, nec terminus vllus
Stragis inexpletæ. Phalarim, Buſirida, Tigres
Exſuperant feritate Canes. Facundus Agittes
Suſpenſus trunco pedibus diuerberat auras;
Dentatâ ſub falce Phago laceratur. Anurus,
Orbibus inuerſus pendet, radijſque rotarum.
Et quid in euerſâ viſum crudelius Vrbe?
Phrurarchus, qui dicta Duci portanda Pithecûm
E ſyluis dederat, poſitis inglorius armis,
Vt vafer arte Sinon, ſcelerum, fraudumque repertor
Ludibrium trahitur, flexis poſt terga lacertis,
Squalida cui centum ſubnectunt membra catenæ.
Ter propero, rapidoque Canum per mœnia curſu
Infelix raptatur, agros ter puluere crines
Turpatus metitur: humi ter ſanguine vepres
Purpurat aſperſos, calcata noualia tabo
Deciduo replet, ſubſtrataque gramina fœdat.
Haud aliter curru, cæſi poſt fata Patrocli,
Hectora Priamidem traxit criſtatus Achilles
Pergama ſub Troiæ flammis arſura Pelaſgis.
Vndique cæde iacent viduata cadauera Vita,
Oſſa peremptorum reſonant diſiecta per arua,
Queis Cœlum, non vrna fuit, pro mole ſepulchri,

Themilla tardâ curſu. Charitæa blandâ gratioſa. Nealces iuuenili robore præſtans. Attacus ſtridens colliſione dentium. Calaris clamoſus. Phago miræ edacitatis Simius.

Inſula mananti, præruptaque terga Veſeui
Sanguine adhuc recalent, & ſparſis oſsibus albent,
Quæ flammis accenſa vagis incendia iactant,
Vndanteſque globos voluit ſuper æthera vertex.

Regia capta ruit, ruit Aula vetuſta Pithecûm
Aequa ſolo, veterumque patent penetralia Regum,
Altaque vaſtatis deponunt culmina tectis.

Hinc Polyphemeis ſuccuſſas viribus arces
Martinus cernens lacrymis affatur obortis.
Sat Patriæ, Regnoque datum, Regique Mimanti.
Iam ſtetimus, ſteterunt Thebæ, ſtetit Ilion ingens,
Dardanijs quondam Populis, Terriſque ſuperbum.
Nunc Martis, vanæque ſumus ſpectacula ſortis.
Dixit & aſpectu captæ ſe ſurripit Vrbis,
Ducturus ſpretæ profugus compendia vitæ.

Illo exinde die longis per vulnera caudis
Truncatis, reſonant gemitus, iræque Pithecûm
Vincla recuſantum, quibus acti pendere pœnas,
Mercurialeos ſeruant cum limine poſtes,
Increpitique rotant puerili verbere terga:
Et niſi tunc celſâ vibraſſet Iuppiter arce,
Rupe ſub Aetnæâ fabricati fulminis ignes,
Texiſſetque nigro noctis velamine Cœlum,
Vltima deleti ſubijſſent fata Pitheci.

PAR-

PARVE LIBER

In lucem prodis incomptus, ſi alias eamdem aſpicere licuerit, memento paucorum carminum mutato amictu, comptior exire.

Pag. 9. verſu 9.

BElla ne centimanum Phlegræa citabo Gigantum?
Quos propter, Fratres Atlas, & Candulus, arma
Impia dum rapiunt, vltrici Iuppiter ira
Accenſus, rugis pararauit anilibus ora:
An quibus, humanæ paſsi diſpendia formæ,
Aſſuerint ſeſe prædis, vitamque rapinis?
Non ego; ſed certus limes mihi carminis eſto,
Hoſpitij violata fides, confuſa Mimantis
Aula, Pithecuſæ ſedes cum gente Pithecûm
Capta, Melampeos inter celebranda triumphos,

pag. 10. Deque Pithecorum.

Inque iugo ſurgens hodie, plenoque Pithecis
Colle, Pithecuſæ ferunt per ſæcula nomen.

pag. 43. verſu 9.

Candule, cui nigris ſulcauit duſtibus ora

FRITILLI, AVT ALVEOLI Luſus.

Vulgo dictus, Sbaraglino.

Gregorii Porcij.


ARmatas acies, inſtructaque caſtra Fritillo
Cernis in explicito, dubio pugnantia Marte.
Stant hinc, inde duæ turritis molibus Vrnæ,
E quibus incertas verſat dum teſſera ſortes,
Prima dato pugnæ, reſonantia claſsica, ſigno
Pulſat, & alterno partitur prælia iactu.
Armiger his ſemper præfert inſignia belli
Sex virgata notis, certantibus hæret, in arma
Caſtra vocat, trepidas acies exercet in iras,
Fortunæque vices ſequitur, fallitque ſequendo.
Aſt vbi conſpicuum campis ſtetit agmen apertis,
Accenditque feros animos in Martis amorem;
Ter decies ſparſi pedites glomerantur in vnum,
Queis latus externum ſecretus miles obumbrat,
Excubias agitans vigiles in limine portæ.
Quinque ſupra denos albo diſtincta colore
Vela gerunt, alij nigro variantur amictu;
Pars pedites cogit, pars explicat: inde laceſsit
Collectos, ſparſoſque ſimul, pulſoſque reducit,
Caſtigatque moras. ſic rupto fœdere pacis,
Ad certam emiſsi tendunt è carcere metam,

Ecs

Per calles atro ductu, alueoque vagantur
Sulcatos, partâ donec ſuper arce locentur.
Et nunc terga fugæ nudant, nunc ora retorquent
Infenſi, curſus ineunt, alioſque recurſus,
Proſiliuntque citi per mille pericula ſortis.
Tres modò concurrunt, modò bini ſede mouentur,
Vnus, & idem ſæpè recurſans agmina turbat,
Effugit ante alios, primuſque elabitur oris,
Stare, ſequi, ſeruare locum, diſcurrere Caſtris
Promptus, & aſsiduo tentans conamine pugnat;
Inſurgit, pellit; pulſatus verbere, campo
Cedit, & à primâ rediens ſtatione, reſurgit
Acrior ad pugnam nullo perterritus ictu,
Præcipitique fugâ, furtimque per ardua Valli
Milite cum ſocio lapſus, tentoria figit
Aduerſis ſpatijs, ſeu propugnacula bello
Tuta parat, tutoque velut concluſus Aſylo,
Excipit errantes pedites, preſſoſque tumultu
Eximit hoſtili, victricia ſigna trophæo
Ventilat erecto, faſtuque ſuperbit inani,
Neſcius ancipitis quæ ſint ludibria Martis.
At victi qui ſæpè dolis inſtructa parabant
Caſtra, fuga retro ſimulatâ, rurſus in arma
Audaces properant, & capto milite, ſiſtunt
Denſatis cuneis Victores, vique ſolutis
Ordinibus, cogunt alios penetrare receſſus
Extremos, alijs ſperatæ ſalutis in Arce

Robo

Robora ſubducunt, obſeſſos aggere cingunt,
Frontibus aduerſis, iunctiſque feruntur, & vrgent,
Turbatâ de ſede ruunt per aperta viarum,
Occluſaſque fores acta teſtudine ſeruant:
Quiue prius pauidi ceſſerunt, hoſtibus inſtant,
Excluſos caſtris pedites propè liminis oras
Componunt, prohibent aditum, confuſa rapinis
Cuncta replent, rapiunt prædam, palmamq; reportant,
Rebus & amiſsis potiori ſorte fruuntur.
Quid miror Parthos, regerunt cum ſpicula dorſo,
Vincere? bella tonant Parthis æquanda Fritillo.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google